

Nic: Ol: Halvegius

1565.










BIBLIOTHECA REGIA HAFNIENSIS

ΠΡΟΠΕΜΠΤΙΚΟΝ SCRIPTVM ERVDITIONE ET PIETATE ORNATISSIMO VIRO M. NICOLAO OLAI HALVEGIO, amico & conterraneo suo singulari, Viteberga in patriam abeunti, mense Octobri,

A

PAVLO PETRI
AALBVRGENSI.



VITEBERGÆ
EXCVDEBAT IOHANNES CRATO.
ANNO M. D. LXV.

AD M. NICOLAVM HALVEGIUM HEXASTICON PAVLI PETRI AALBVRGENSIS.

Munera Callaicis HALVEGI candidá gemmis
  Offerrem gratus sæpius ipse tibi.
Sed quia nec patulis ingentia munera cistis
  Ipse habeam, tibi sors non dare tale uetat.
Carmina quapropter teneris exculta figuris
  Accipies, nostræ pignora amicitiæ.



ΠΡΟΠΕΜΠΤΙΚΟΝ.

EST propè Leucorei ripam locus vndiq; myrtis
    Denſus, & vmbroſa fronde refertus ager.
Caſtalidis ſacer & Muſis, dulciq; Mineruæ
    Sanctus, & inſigni vertice cultus adeſt.
Huc vbi prima volans laxarat lumina Titan
    Acceſsi, ſtudijs deditus Aonijs.
Ecce decem egregias poſitas ex ordine diuas
    Conſpicio, blandis verba referre modis.
Seq; ſalutantes, dextras quoq; iungere dextris,
    Atq; agiles ſolito ducere more choros.
Feſtaq; odoratis dum nectunt tempora ſertis,
    Lux præit & ſequitur quà chorus iſte venit.
Obſtupui primò, ſed enim mihi nota ſororum
    Vna fuit, ſummo quæ Ioue nata fuit.
Audaces fortuna iuuat: animosq; viriles,
    Addidit ingenio docta Minerua meo.
Intereà acceſsi flexo pede, iamq; deabus
    Hiſce precaturus mollia fata fui.
Illa ſed ore prior: iuuenis quod ſcire laboras,
    Hoc quoq; me dudum ſcire tacente potes.
Namque tibi notum eſt, patrias quòd tendat ad oras
    NICOLEOS, noſtri maxima fama chori.
Militiam teneris noſtram ille ſequutus ab annis,
    Cum docta coluit Pallade Pierides.

Vnde sibi docti decus attribuere magistri,
Leucoreæ gestant qui sacra sceptra scholæ.
Nunc Rosefontanas iterum reuocatur ad vndas,
Tradat vt Isacidæ dogmata sancta scholæ.
Linquentes largos fontes, & iugera campi
Phocidis, ad vestræ venimus arua plagæ.
Vt faciles reditus sub patria regna precemur
HALVEGIO, cœptum qui modo currit iter.
Hunc igitur patrias repetentem, versibus, oras
Prosequere, & faustis gressibus ire iube.
Adde quod ad nostras Albim cecinisse Camœnas
Audieris, vero teste relata refer.
Sic tibi Mæonijs accendam pectora flammis,
Ingenij vt cumules hac ratione decus.
Hæc vbi dicta dedit viridi se condidit antro,
Primaq; facundos fudit ab ore sonos.
Tu ne igitur nostris animo es meditatus ab oris
Nunc abitum, patriæ clara Lycea petens.
Dic age cur tanto fugis in discrimine rerum
Docte vir, ac nostros deseris ipse lares?
Aspice quæ cœli facies, quo turbine ventus
Commistus, pluuias præcipitabit aquas.
Haud aliter magnæ torpentia frigora brumæ
Instant, & longæ tædia dura viæ.
Nec metuis sæui funesta pericula belli,
Hoc quod Leucoreos tempore linquis agros.

Nec

Nec tibi sunt curæ, rapidæ contagia pestis,
Dispersa in varijs perniciosa locis.
Ergo mane, & cari precibus moueare sodalis,
Temporaq; expectes commodiora viæ.
Ipse breui spacio, modò si meliora fauebunt
Sydera, tum patriæ dulcia rura petam.
Sic ne sodalitij consortia nostra relinquis,
Et te colloquio subtrahis ipse meo?
Sed quid ego querulis consumo tempora verbis?
Sunt etenim fatis subdita quæq; suis.
Ergo ibis patriæ Lauro redimitus ad vndas,
Et tuus æterno tempore viuet honos?
Gratior hoc titulo patrios ornatus ad agros,
Doctiloquo venies cuilibet ipse viro.
Quare Palladias didicisse fideliter artes,
Aurea felicem sternit ad astra viam.
Dumq; alius turpi consumit tempora luxu,
Aut magnas turpi fœnore quærit opes.
Tu colis Aonias artes, & fœnore spreto,
Lapsuras nullo tempore quæris opes.
Ergo tibi Musæ comites è pectore curas
Tollant, & subitas temporis vsq; vices.
Pythagoras sophiæ studijs, legumq; Lycurgi
Addictus, Lybicas classe secabat aquas.
Hic varios cupiens astrorum noscere motus,
Ausoniæ tendit culta per arua plagæ.



Sic decet ad varias doctos accedere terras,
Ingenij ut cumulent hac ratione decus.
Sic varios hominum mores, sic discat & artes,
Quicquid & est doctis utile scire viris.
Haud aliter studijs tua mens exercita sacris,
Hausisti Albiacæ dogmata sancta scholæ.
Fama per ingenuas & gloria quæritur artes,
Maxima barbaries est didicisse nihil.
Ergo ego te patriæ repetentem dulcia rura,
Prosequar & votis carminibusq; meis.
Nulla tibi noceant fluidæ contagia pestis,
Nulla tibi belli, nulla pericla viæ.
Angelici cœtus etiam comitentur euntem,
Et mala te Christo nulla tuente premant.
Auspicijsq; scholæ faueat, vestrosq; labores
Prouehat, atq; suo numine cœpta iuuet.
Inserat & pueris pulcræ virtutis amorem,
Quos commendabit patria cara tibi.
Vade bonis auibus, carosq; reuise sodales,
Communis patriæ quos tibi iunxit amor.

τῶν τε γὰρ πεπραγμένων ἐπιτερπεῖς αἱ μνῆμαι,
καὶ τῶν μελλόντων ἐλπίδες ἀγαθαί.

Actarum meminisse decet, rebusq; futuris
Spes erit, haud ullo peritura uolubilis æuo.

ORNA-

Ornatiſsimo viro, doctrina & pietate præſtanti M. Nicolao Olai Haluegio, amico ſuo cariſsimo.

CVm Ioue natarum ſedes linquenda ſororum
Sit tibi, Leucoreæ ſurgunt vbi mœnia doctæ,
Hoc me ſynceræ mandat contexere carmen
Pignus amicitiæ, mentisq́; ita promere gratæ
Signa, fidem ſeruans quæ perdurabit in annos.
Ac locus ardenter quamuis non iungat amantum
Corpora: non animos tamen hic diſiungere pollet.
Sed magis incenſæ pungunt præcordia flammæ,
Nec mare nec terras nec ferrea clauſtra morantur.
Irriguis igitur quamuis abiturus ad vrbem
Fontibus eximiam, cuius fundamina ROE
Rex poſuit quondam, vallis & cinxerat altis.
Attamen Albiacis iuuenes qui viuimus oris,
Et Muſas colimus, graue non ſit ſingula ſcriptis
Claudere, quæ ſtatuat veneranda corona virorum.
Ingredere ergò viam felix: & numine fauſto
Quando rates altum teneant, & cærula verres,
Ad patrios hilaris tutusq́; allabere portus.
Quò tibi ſollicito cœtus coniunctus amore
Gaudeat, & cupidis ſtringat tua colla lacertis.
Immemori intereà non linques mente ſodales,

Sed

Sed quæ conditio patriæ, & fortuna parentum,
Scribere currenti non dedigneris auena.
Et quia vernantem rodens sit cura iuuentam
Imperio regere, atq; vagas compescere mentes,
Tu Pater omnipotens cœlo qui fulmina torques,
HALVEGII curis plenos nunc dirige gressus,
Respice conatus, teneræq; allabere menti,
Quò tua Nestoreos resonet doctrina per annos.

Andreas Lymuicus
Cimber.